(Cap. XXI.)

Elyzabeth ancilla quondam beate Elyzabeth Lantgravie Turingie interrogata de vita et conuersacione eiusdem beate Elyzabeth iurata dixit, quod post assumptum habitum diu fuit cum ea et quod plurima bona opera misericordie scilicet et humilitatis viderit in illa. Que ad hospicium suum in quo manebat iuxta oppidum Marburg vocauit pauperiores, debiliores et infirmiores magisque deuotos, quibus in propria persona ministrabat. Cibos cum ancillis deo deuotis in habitu griseo preparabat et pauperibus in hospicio ejus manentibus ministrabat, balneis illos fouens et vestibus tegens. Quendam eciam puerulum monoculum, scabiosum totum quem in hospitali suo tenebat, inter cetera multa humanitatis officia, que eidem exhibuit, eciam ad requisita nature sepius propriis manibus deportauit. Yrmingardis religiosa habitu griseo induta, ipsa quandoque ancilla beate Elyzabeth de vita ipsius requisita iurata respondit: Domina mea beata Elyzabeth semper habere consueuit pauperes in hospicio suo apud oppidum Marburg, postquam induerat habitum